



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Vers. 18.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82999](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82999)

damentum est, quo reliquæ insistent, ne penitus pereant. In hac itaque expositione quisque quod visum fuerit, sequatur. Mihi illa explicatio melior videtur, quæ literalis est de Christo, aut sane sensu primario sensum eius complectitur.

QVÆSTIO II.

An in persecutione Christi exemplo fugere liceat?

§. 1. S. Cyprianus, Athanasius, Augustinus exemplo Christi fugam in persecutione licitam esse docent. Quæ enim, inquit Athanasius, humanitas de Salvatore scripta sunt, ita par est, ad commune genus hominum

Christus fugiens iudeos, non & ille corpus nostrum gestavit, & humanam imbecillitatem ostendit. Probat exemplo fugæ Christi in Ægyptum, in Nazareth, & similibus. Tertullianus tamen iam a fide alienus, ingenio suo, & æmulationi obsecutus fugæ præsidium in firmis abstulit, l. de fuga in persecut. c. 8. Refugit & ipse vim interdum, sed eadem ratione qua Apostoli fugere præceperat, donec scilicet doctrinam suam impleverit. Quæ consummata non dico stetit, sed nec auxilium à patre Angelorum exercitum desideravit, increpito etiam Petri gladio. Professus quidem & ipse est: animam anxiam vsq; ad mortem & carnem infirmam, ut tibi ostenderet primo in se iramque substantiam humanam fuisse ex proprietate anxietatis animæ & imbecillitatis carnis. ne aliam ut quidam nunc induxerunt, aut carnem aut animam Christi interpretaretur. Vim itaque eludere sibi videtur argumenti, si dicat Christum fugisse, donec doctrinam impleverit, & eadem ratione fugere Apostolis permisisse. Verum magis se, & argumentum stringit. Fugere enim & ceteri eo modo possunt, donec implevis omnibus, legem mandandi habere se agnoscant. Christus enim mortem, & carcerem fugit, donec veniret hora eius, discipulis quoque eius fuga licita est, donec causa gravis sit, vel ob scandalum, vel aliorum necessitatem patiendi.

§. 2. Dum ille fugit, Herodes scævit, omnes infantes in Bethlehém, & finibus eius occiduntur. Quod a bimatu vero signanter Herodes, à bimatu & infra occisos voluit, secundum tempus quod exquisierat à magis, quosdam monuit, ut stellam bennio ante natum Christum apparuisse, quosdam, ut biennio post natum Christum eadem factam existimarent. Verum alii stellam ante partum vitam referunt. Imo Caluinus, stulte, inquit, stella ante pro confesso sumunt, stellam non apparuisse nisi post partum virginis: quod cum tamen plerique sentiant, merito stultos videri potest, si quis omnes stultos iudicet. Mihi videtur Herodes suspicatus esse stellam diutius apparuisse, quam illis visa fuerit; nec enim, quemquam diem, quæ primum eam videre potuerunt, indicare facile fuerit, affirmare promptum fuit, ante non fuisse; neque enim vel pluuio cælo, vel alia de causa, mox stellam, ut emicuit, etiam videri necesse fuit. Deinde securitati ut consuleret, scævitiam extendit: Nam quidam etiam mensuri infantes maiusculi sunt, & rudis miles in tam furioso facinore decipi non difficulter poterat, quibus ut Tyrannus occurrere securitatis ret, ne scelus perderet, omnes bimulos, quique infra causam crucis etate essent, occidi imperavit. Atq; ita intelligendum est, quod ait *intra tres menses*, secundum tempus quod exquisierat à magis. Nam tempus illud exquisitum à magis referendum est ad id quod dicit, *infra*. Nempe occidit eos, qui intra bimatum erant, non omnes, sed secundu

quod tempus quod exquisierat à Magis, non erat, exquisierat eos occidi necesse, qui post Magorum aduentum natum ad Magum ad iu erant: de eorum enim etate facile constare poterat qui in rat. Quanquam non est dubium multos quoq; infra erant, nores Christo, dum miles dubitat, & imperium tamen exequitur, occisos. Quanquam mihi verisimile est, quod

Adami Cen-zen in Euang. Tom. I.

mile redditur, Herodem non adeo celeriter scævisse, dum enim Magos expectat; deinde de abitu cognoscit, dubitatque an illi illi fuerint, & pudore aliam viam sinit ingressi, transit dies quadagesimus, dein perfectis omnibus secundum legem Domini, reuersi sunt in Galileam, in ciuitatem suam Nazareth. Luc. 2.

39. Quamdiu ibi habitauerint, incertum est. At certissimum est Caluinum falli, dum Iosephum in fugâ, Præsentia in transitu Ierosolymæ ait functum pietatis officio, tio Christi quod lege Domini præscriptum erat. Nam Lucas ex- non est in pressis verbis docet; Eos postquam omnia perfecit, fugâ facta sent, reuersos in Galileam in ciuitatem suam Nazareth. Deinde Ioseph noctu fugam capessit, cum Maria & puerulo; instabat igitur periculum è proximo; quomodo in mediam flammam se daret? præsertim cum è Nazareth per Ierosolymam non sit iter in Ægyptum. At in multitudine latere potuit. Cur ergo rediens ex Ægypto, postquam audisset omnes de functos, qui quæssent animam pueri, non tamen in Iudæam esse ire ausus, quod Archelaus regnaret? An in re præsentimini Herodem timeret, quam sopita iam fama Archelaum?

At vero non latuisse, sed multis manifestatum constat, ex Luc. 2. 28. De illo enim Anna loquebatur omnibus, qui expectabant redemptionem Israel. Prodere quidem hoc esset dominum, si eo tempore, quo nocte fugit Ioseph, in templo Ierosolymitano laudes eius celebrarent.

VERSUS 18.

Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus Rachel plorans filios suos, & noluit consolari quia non sunt.

QVÆSTIO I.

An hæc de Christo prædicta sint?

§. 1. Hieronymus hunc in locum monet, nec ex Hebræo, nec 70. transluisse verba Matthæum. Vox in excelso audita est, &c. Nec iuxta Hebræicum, nec iuxta Lxx. Matthæus sumpsit testimonium. Legimus enim in eo post descriptionem infantum necis: Tunc impletum est, quod dictum est per Hieremiam Prophetam dicentem: Vox in Rama audita est, ploratus & ululatus multus: Rachel stens filios suos: & noluit consolari, quia non sunt. Ex quo perspicuum est Euangelistam & Apostolos, nequaquam ex Hebræo interpretationem alicuius secutos, sed quasi Hebræos ex Hebræis quod legebant Hebræice, suis sermonibus expressisse. Rachel mater Ioseph cum veniret Bethlehém, subito partus dolore correpta, peperit filium: quem obsterrix, quia moriebatur pariens, vocauit Benoni, hoc est, filius doloris mei. Pater autem Iacob mutauit vocabulum & appellauit eum Benjamin hoc est filius dextera. Queritur itaq; quo modo Matthæus Euangelistam testimonium Prophetæ ad intersectionem transtulerit parvulorum, cum perspicue de decem tribubus scriptum sit, quarum princeps non fuit Ephraim, & nequaquam sit in tribu Ephraim, sed in tribu Iuda: ipsa est enim & Bethlehém dicitur, unde & nomina vtriusque concordant. Bethlehém vocatur domus panis: Ephraim hæc quoque, quam nos vbertatem possumus dicere. Quia igitur Rachel in Ephraim hoc est in Bethlehém condita est: sicut & scriptura sancta & titulus sepulchri eius hodieque testantur: stercus dicitur pueros, qui iuxta se, & in suis regionibus interfecti sunt. Quidam Iudeorum hunc locum sic interpretantur, quod capta Hierusalem sub Vespasiano, per hanc viam Gazam, & Alexandriam infinita millia captiuorum Romam directâ sint: alij vero, quod vltima captiuitate sub Hadriano quando & Iudeorum urbs Hierusalem subuersa est, innumerabilis populus diuersa expositio-

D

atatis nro.

etatis & utriusque sexus, in mercato cerebini vendidatus sit. Et idcirco execrabile esse Iudaei mercatum celeberrimum visere. Dicant illi, quod volumus: nos recte testimonium sumpsisse dicemus Evangelistam Matthaeum pro loco in quo Rachel condita est: ut vicinarum in circuitu villarum filios quasi suos flecteret, &c.

§. 2. Quod Iudaeos attinet, non erat operae precium de Tito, vel etiam Adriano novas fabulas effingere, sub Tito in Galilaea, & Ierosolymis, ubi gentis cammentio est put erat, praecipue clades saevit, multo minus ad in hoc loco Adrianum pertinet. Ephraim eo tempore non mihi grauit, ut eius toties mentio instituitur: De Iuda & Benjamin agebatur. Nam Ephraim iam adeo diu desierat esse populus, ut patriae & linguae oblitus fuerit. Alio igitur illa referenda sunt. Verum primo textum consideremus, in quo etiam alia verba videantur, nihil tamen est repugnans.

In Rama רמא, noster vertit: in excelso, 70. רמא, ut constet esse locum aliquem in finibus Bethlehemi, latinis Excelsum. Ploratus נהי Nehi. 3. & 7. & 9. noster vertit lamentationem. Ululatus נהי bechi sentientes fletus, נהי & נהי. Textus est: Mulus רמא coniungendum est cum נהי, & sensus est, Bechi Thamrarim, fletus amaritudinum, quod bene vertitur ὁδυρμός πλῆθος. Est perseverans tristitia.

Denique in Hebraeo additur, super filios suos, hoc modo, Et noluit consolari super filios suos. quod nec in nostro a versione est, nec in 70. nec Matthaeus recensuit. Chaldeus tamen adiunxit. Ex hisce igitur perspicuum est, non esse aliquam sententiarum inter Ieremiam, & Matthaeum differentiam: licet verba non studiose annumerata sint.

§. 3. Iudaei ista omnia de dolore Rachelis interpretantur, qua inducitur lamentari filios Benjamin in captiuitatem abductos, & gaudere de reditu. Haec interpretati oppono, totum Ieremiam contextum, qui de Christo, & eius regno prophetauit, non de Benedictio, iamitis. Quod ut ostendam, legendus est ipse Prophetica. In illo tempore dicit Dominus: Ero Deus vniuersis cognationibus Israel, & ipsi erunt mihi in populum. Et v. 6. Quia ead reditū sit tempus, in quo clamabunt custodes in monte Ephraim. Surge & ascende in Sion ad Dominum Deum nostrum. Hoc non est factum soluta captiuitate Babylonica; nam Samaritae infesti semper hostes Iudaeorum fuerunt. Itemque v. 8. 9. 10. Clarissime v. 22. Femina circumdabit virum, & 11. 31. Ecce veniens dies, & seriam domus sunt facta Israel pactum nouum, non secundum pactum, quod pepigi cum patribus eorum, & v. 33. Dabo legem meam in visceribus eorum. Et non docebit vir ultra proximum suum.

Denique ait in fine capitis, ciuitatem adificandam, & non destruendam usque in perpetuum. Haec nullo modo conveniunt, & Iudaeis ex Babylonia reducibus, & sub Persarum, Graecorum Romanoque imperio gementibus; nec de tali igitur dolore, vel consolatione agitur: Sed Christo, a postolis, Samaritae recipienti verbum Dei. Aut ostendant haec aliquando acta, Iudaeos a septentione reductos. Perspicuum igitur est, non convenire ista liberationi per Cyrum concessae, ut Iudaei interpretantur; neque enim Tribus Ephraim redit, & expertus est eo tempore, quod dicitur, v. 26. statui post Si filius honorabilis mihi Ephraim, miserans miserebor eius. Multo minus conuenit Ierosolymorum illa exstructionem ista, quae omnino postea vastata, ut non manserit lapis super lapidem. Hanc ob causam Rabbini nonnulli de aliqua veteris Testamenti historia agi, si d ignota, fingunt. Verum hic quoque sine ratione fumos vendunt. Quamvis enim aliqua calamitas evenire filiis Rachel potuerit, quam aboleuerit temporis vetustas, non tamen tam insignium promissionum effectus in obscurum esse potuerunt, ut cuiusque

quamvis obiter legenti constare potest. Deinde si de tribuum reditu agitur, & captiuitate, cur potius Rachel luget, quam Lia? Sane Lia filii redierunt, hoc est filii Iudae, Beniamitae pauci fuerunt, caeteri tribus in dispersione manserunt. Imo Bethlehem ad Iudam pertinet, sed Rachel lugere inducitur, quia ibi sepulta est. Quid porro ad solos Bethlehemitas, omnium communis felicitas, aut clades?

§. 4. Opponunt tamen versum 18. Haec dicit Dominus, quiescat vox tua, & oculus tuus a lacrymis, quia est merces operis tui, ait Dominus. Et reuerentur de terra inimici. Et isti spes novissima, ait Dominus, & reuerentur filii tui ad terminos suos. Respondet tamen hanc ipsam promissionem non esse completam, nisi per Christum cum ad Rachelam seu Ecclesiam veri Israelitae ex omni orbe redierunt. Neque enim simpliciter reditus, sed cum ea felicitate, & novitate promittitur, quae nec Cyro regnante, nec deinceps fuit, si temporaria spectemus, addo quod de reditu Ephraim statim adiungitur falsum esse. Nullus enim eius reditus fuit, nisi ad Christum conversio, nec iam populus vllus superest Ephraimitarum, qui redire possit.

VERSUS 19.

Defuncti sunt enim qui querebant animam pueri.

QUESTIO I.

An Christus animam habuerit?

§. 1. Apud S. Athanasium in colloquio orthodoxo Axi, & Macedoniani hinc probatur, Christiani verum hominem, veram animam habuisse. Non est hic vnus error vester, inquit ille, qui eiusdem cum patre essentia filium esse dicitis, sed quod Dominum incarnatum animam quoque habuisse asseritis. Et paulo post faceret Macedoniani, suos Christum exanimem dicere. Qui responderet Orthodoxis. Quomodo ergo Angelum audies Iosepho dicentem: assumpto puero eiusque matre fuge in Aegyptum: quaesiturus est enim Herodes animam pueri: & iterum: Surge & vna cum puero, eiusque matre praesciscere in Israeliticam terram: mortui sunt enim, qui animam pueri querebant ad necem. Sane diuinitatem ad necem quaesitam Angelus non dixisset, nec Iosephus credidisset, sed eam animam, qua constabat vita humana.

VERSUS 23.

Quoniam Nazareus vocabitur.

QUESTIO I.

Vnde, & a quo vocatus Nazareus, vel Nazarenus?

§. 1. Matthaeus non vnum Prophetam nominat, sed per Prophetas esse dictum affirmat: Chrysolomus, aliique eum sequi soliti, a Prophetis dictum volunt quorum scripta non extant. Caluinius ait, eum, nodum, quem soluere non potuit, abscondisse. Nihil coloris habere eam responsum, omnes enim libros qui Matthei tempore fuerunt, etiam nunc superesse.

Quamvis autem Chrysolomus solutionem non sequeretur, non tamen Caluini rationem probare possem: phetis qui cum enim tot veterum libri interierint, ut ostendit in non exstant Prolegomenis P. Serarius, nihil mirum est, si multa citare pot ex eis vel traditione, vel citatione in alios libros translati, seruari potuerint. Iudas vers. 14. citat Prophe-